

DRACONTIUS

OPERA MINORA (43 vers)

DE MENSIBVS

		Januarius
M1_	v.1	Purpura iudicis sacros largitur honores
	2	et nova fastorum permutat nomina libris.
		Februarius
	3	Sol hiemis glacies solvit jam verbere nixus,
	4	cortice turgidulo rumpunt in palmitibus gemmae.
		Martius
	5	Martia iura movet, signis fera bella minatur,
	6	excitet ut turmas et truncet falce novellas.
		Aprilis
	7	Post chaos expulsum rident primordia mundi,
	8	tempora pensantur noctis cum luce diei.
		Maius
	9	Prata per innumeros vernant gemmata colores,
	10	floribus ambrosiis caespes stellatur odoratus.
		Junius
	11	Messibus armatis flavae crispantur aristae,
	12	rusticus expensas et fluctus nauta reposcit.
		Julius
	13	Humida dant siccas messes domicilia Lunae ;
	14	fontanas exhaurit aquas, ut Nilus inundet.
		Augustus
	15	Atria Solis habet, sed nomen Caesaris affert ;
	16	mitia poma dabit, siccas terit area fruges.
		September
	17	Aestuat autumnus partim variantibus uvis
	18	agricolis spondens mercedem vina laborum.
		October
	19	Promitur agricolis saltantibus ebrius imber
	20	rusticitasque decet gaudens plus sordida musto.
		November
	21	Pigra redux torpescit hiems ; mitescit oliva,
	22	et frumenta capit quae fenore terra refundat.
		December
	23	Algida bruma nivans onerat juga celsa pruinis
	24	et glaciale gelu nutrit sub matribus agnos.

DE ORIGINE ROSARVM

M2_	v.1	Icitur alma Venus, dum Martis vitat amores
	2	et pedibus nudis florea prata premit :
	3	sacrilega placidas irrepsit spina per herbas
	4	et tenero plantas vulnere mox lacerat.
	5	Funditur inde cruor, vestitur spina rubore ;
	6	quae scelus ammisit, munus odoris habet.

7 Sanguine cuncta rubent croceos dumeta per agros,
 8 et sancit vepres astra imitata rosa.
 9 Quid prodest, Cypris, Martem fugisse cruentum,
 10 cum tibi puniceo sanguine planta madet ?
 11 Sanguineis Cytherea genis, sic crimina punis,
 12 vivacem ut spinam flammea gemma tegat ?
 13 Sic decuit doluisse deam, sic numen Amorum,
 14 vindicet ut blandis vulnera muneribus.

FRAGMENTA I

M3_ v.1 [Lacune]
 2 irasci miseris possunt, felicibus autem
 3 et praestare volunt. [Lacune]

FRAGMENTA II

4 Sericus in ventos gemmato lumine serpens
 5 tenditur, et rutilas vibrat per nubila cristas.